

A per Gallandiam<sup>1</sup> et in pluribus locis uti faciebat navigio, et illam partem Parisius  
 quæ ultra Magnum Pontem est fecisset insulam, nisi celsioris terræ crepido, sicut  
 itur ad Sanctum Laurentiuu, profluviu detinens, super aquas contenderet enim  
 nere. Forte Saturnus per multas annorum revolutiones anhelans in domicilium  
 suum venerat, et ob hoc effectum proprium dominatus exercobat. Nam a xxx  
 annis ante transactis, quando scilicet Parvus Pons nimiis fluctuum illisionibus  
 impulsus cecidit, nullo anno visum fuit tantum pluisse tantumque fluvios ex-  
 crevisse. Tanta dampna faciebat illud particulare diluvium in satis, in vineis, in  
 ædificiis, in arbustis, in diversis quoque mobilium generibus, quod siccis genis  
 non poterat a multis enarrari. Cur referam quomodo res varias in hortis sive præ-  
 diis seu plateis positas sine licentia dominorum tollens, quo trahiebat impetus  
 fluminis asportabat? Nam quod dampnosi est, pecudes in ovilibus, porcos in  
 aris, armenta in stabulis hominesque in domibus ingressu subito turbare non  
 reverens, habitacula eorum dissipans in sepulcra convertebat, vel ipsa habitantia  
 pro viribus renitentia proferens parumper palpitate tolerabat, sed tolerantiam vitæ  
 brevis immani pretio redimebat. Cives Parisius se voluerunt aliquandiu defendere;  
 sed labore suum cernentes incassum cedere, redierunt ad cor, et in ipsa tribula-  
 tione malorum et dolore cognoverunt humanas vires contra gravamen duplicitis  
 elementi, aquæ scilicet et aeris, non posse sufficere, sed divinum auxilium postu-  
 landum. Inde quod frequentant ecclesias, orationes multiplicant, elemosinas dant,  
 nec audeo dicere largiuntur, quia pro supplicationibus suis, nec nubes cessabant  
 pluvere, nec excedens Sequana cepta per me deservire<sup>2</sup>. Quid facerent? Ubi vident ur-  
 gens instare periculum, auxilium humanum desicere, deesse divinum, argumento  
 probabili conjecturant se esse indignos in tanto negocio per se pro se agere apud  
 Deum, sed ad conciliandam Omnipotentis clementiam opus habere medio præ-  
 valenti. Medium illud timore sollicito queritur, spe rediviva invenitur, memoria  
 approbatur beneficia præterita recolente. Omnes consentiunt in beatam virginem  
 Genovesam, ut ipsa piis precibus imploretur, dignis obsequiis honoretur, devotis  
 supplicationibus demulceatur, sollempni processione ad ecclesiam sanctissimæ Dei  
 genitricis Mariæ venerabiliter deportetur, quatinus corporali præsentia petitionem  
 populi roboret, felix ancilla felicem dominam intercedat, favorem quem sibi in  
 aeternum meruit periclitanti patriæ vel ad modicum nunc acquirat. Multumque  
 confidunt quod hoc triplici funiculo, id est contritione<sup>3</sup> miserabilis populi, subsidio  
 gratiæ virginitatis, præsidio gloriissimæ Matris, ut mel in favo, Deus homo Jesus  
 Christus ad misericordiam inclinetur. Placet consilium, studiose mancipatur ef-  
 fectui, dicto citius restrictio flumen impetratur. Quid enim neget Filius mis-  
 ERICORS karissimæ Matri sue, dilectæ et præelectæ sibi a constitutione mundi? Aut  
 Regina virginum quid negare sustineat familiarissimæ sue Genovæ, quæ a pri-  
 mæva ætate vita fragilis<sup>4</sup> tam fideliter, tam serventer, tam perseveranter in humi-  
 litate, in virginitate et in omnibus virtutibus eam studuit imitari? Revera dignum  
 est Matrem pulchræ dilectionis vitam<sup>5</sup> pulchræ dilectionis supereffluenter re-  
 pendere adolescentulis quæ dilexerunt eam nimis. Inde est, dilectissimi, quod  
 quamvis piissima Dei Genitrix quandoque dissimulet filios dissimilitudinis exau-  
 dire, tamen exauditionis sue sacrarium dilectissimæ sue Genovæ semper patu-  
 lum invenitur. Ignoravit tamen aliquorum ruditas beneficium jam indultum,  
 Sequanamque obedientem cœlesti imperio putabant adhuc procedere in aug-  
 mentuin. Judicium eorum fallebant, ut puto, fides parva, devotion remissa, den-  
 sitas<sup>6</sup> nubium, copia imbrium, fluctuum commotio, malorum conturbatio, ti-  
 moris consternatio, quem a se vix potest, etiam in exiguis casibus, ignava pusilla-  
 nitas relegare. Sed quidam alii nubes et inania attendere non contenti, signa-  
 posuerunt quibus certissime cognoverunt quod ab ipsa hora processionis Se-  
 quana paravit redditum, et hoc videre volentibus, Deo et beatæ Genovæ gratias  
 agentes, ostendere curaverunt. Illi vero qui beneficium Dei ignorabant, proces-

<sup>1</sup> Locus corruptus; fortasse legendum septa per media  
deservire.

<sup>2</sup> Cod. contritione.

<sup>3</sup> Cod. flagilia.

<sup>4</sup> Cod. vietem.

<sup>5</sup> Cod. dempsitas.